

Wk. 278. 34

IV

Z f
4030

EBERARTV
A VVEIHE IC. ET
DECRETALIVM

PROFESSOR &c. IN
Academia VViteberg.

Civilis prudentiæ
Candidatis S.



VVITEBERGAE

Ex typographia M. Simonis Gronenbergij.

M. D. XCII.



14 28

14 28

BIBLIOTHECA

AVVENTURA

DEI

FRANCESCO

LIBRO

di



LIBRO

di M. Simeone

M. D. 1611





Vm ex Holsatiâ ante quinquenni-
um, fortissimo Heroe & verè Ger-
manico Duce, Illustrissimo Princi-
pe ac Domino, Domino Adolpho,
Herede Norvegiæ, Duce Sles. Holf.
&c. excell. recordationis, qui non nudam & me-
ram vim bellandi, sed arte & consilio tempera-
tam tenebat, & prudentiâ militandi, sine qua
principem vix principem esse veteres dicebant, in-
structus erat, hoc ergò Principe mortuo, cum ex
aula in hanc Academiam (in quâ integros quinq;
annos, loco Nobiliss. Icti & reverendi senis, Io-
achimi à Beust in Planitz, Domini ac amici mei
colendi, publicè Pandectas Iuris Civilis explica-
veram, & ea, quæ huic muneri adnexa sunt, susti-
nueram) in locum Michaelis Teuberi, Icti pe-
nitissimi, ad interpretationem Decretalium legi-
timè vocatus denuò essem; nescio quo errore hu-
mano ductus, planè constitueram, in eâ muneris
functione quidem amplissima, inermi tamen &
innoxia consensescere, neque falsas opes venando,
neque honores & dignitates moratorias ambien-
do. Perस्पeçum enim & cognitum mihi erat ex
anteactâ vitâ, post quam naturâ putantur homi-
nes sapere rectius, verissimum illud:

Cum dat oluscula

Mensa minuscula

At

Pace

*Pace quieta:
Ne pete grandia
Laua q̄, prandia
Lite repleta.*

Et elegantius illud :

*Desiderantem quod satis est, neq̄
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec seruus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hædi.*

Æmulabar in parte Philosophos; non quidem, quòd vel honorem aulicum prorsus negligerem; vel etiam respuerem tractationem negotiorum politicorum : quam & magnificiebam, & iam num magnifacio, cur enim non magnificerem? dùm video, eam in rebus humanis ad conservandum statum publicum maximè necessariam esse, & à paucis tamen illam prudentiæ partem coli & tractari: vel quòd vitarem labores continuos & peregrinationes, quibus deditus eram: vel motus nonnullorum dicitur, aulicam provinciam tanquam servam & elinguem, in quâ dicere quod velles periculosum, quod nolles miserum, relinquerem: vel infinita tædia, quæ volgus mobile & imperitum non animadvertit, fugerem; Sed veriores & iustiores ejus rei causas, tunc temporis habui.

habui! Non enim illis astipulari potui nec adhuc
possum, qui jejune existimant, propter pericula, ca-
lumnias, & molestias fugiendam Rempub. neque
illis subscribo, qui ex responso Tiresiæ Menip-
po interroganti dato, colligunt, optimam vitam
apud privatos esse: neque Socrati, quem mori
maluisse, quàm accedere ad Rempub. referunt;
Malo sequi Porcium Catonem, quàm Aglaum
Arcadem: Hunc forsitan & corrupti depravatiq̃ue
mores comitabantur: omnibus enim hominibus
inest malignum quiddam: Ille apertus, bonus, sine
fuco, sine fallacia fuit! Et quis status vitæ firmus
in rebus humanis? Nullus humano debilior, nul-
lus incertior, nullus infirmior; Atqui privatam vi-
tam solidam, beatam, & cœlestemne putamus, vel
humanam negamus? Minimè. Novis enim acer-
bitatibus quotidie augetur, paullatim & per par-
tes: Amittunt privati vel bona animi, vel cor-
poris, vel fortunæ: mox moriuntur boves, oves:
mox eripiuntur agri: vel ipsi mortales servitio
traduntur: vel alioquin vim divinam & da-
mnum fatale, vt IC. noster loquitur, sentiunt,
quod cuivis patrif. etiam diligentissimo accide-
re potest, Vlpiano teste: jam ira & invidia, jam
quæstus & avaritia, jam paupertas & sterilitas
perturbant animum, in primis dum perdunt, quas
habent opes: & mille incommoda miserrimæ vi-

ta sese objiciunt, etiam privatis; Imò cordati vi-
ri intelligunt, ut plurimum eò ductam privato-
rum hominum vitam & libertatem, ut ruptis le-
gum formulis, ruptis veritatis & honestatis repa-
gulis, unusquisq; etiam infimæ sortis, quod velit,
etiamsi impiū & Ethnicum, imò plus quàm Eth-
nicum sit, partim inscitiâ, partim improbitate
dicat agatq; Et nullum tam insulsum ac impi-
um factum, quod teste inter privatos careat! Hæc
itaque vita suis etiam non caret difficultatibus.
Quamobrem si quid adversi impendet, prout o-
mnes sumus oppositi calamitatibus, malo in Re-
pub. & pro Repub. id ferre, quàm usquam gen-
tium! Nam vbi que satis mali, servitutis ac mi-
seriarum, etiamsi privatam vitam commodam
nactus fueris. Animus solus est, qui vitam vel sva-
vem vel acerbam reddit. Itaque sic statuo, ani-
mo benè constitutum, vbi cunque locorum fuerit,
in quocunque vitæ genere benè & jucundè vivere.
Univerſa vita fallax, lubrica, in qua prudentes
semper meticulosi sunt, sæpiùs titubant, & su-
bitò corruunt; E fallace ergò bracteata & errante
quomodo eximes privatam domum? Nunquam
enim prudentia humana meruisse potuit, vt id,
quod naturæ universæ communiter accidit, in eo
quis privatam aliquam præ cæteris felicitatem si-
bi polliceatur! Quapropter non de causis his in-
dica-

dicatis, vel alijs etiam, quas homines molles ca-
tervatim proferre solent, Holsatiam terram fer-
tilem, & aulam splendidissimam, omnibus gra-
tus & acceptus reliqui: vel à Nobilibus fortissi-
mis ac liberalissimis discessi; sed divinâ providen-
tiâ, quæ res omnes dirigit & flectit, gubernante.
Et licet multi optimi & excellentes viri Remp. re-
liquerunt, domumq; suam non tam necessitate,
quàm merâ voluntate occuparunt; quibus annu-
merant M. Crassum, Lucillum, Catonem Cen-
sorium, Dionysium Syracusanum: tamen illi de-
muni Reipub. post præclara facinora præstita, re-
pudij libellum miserunt, & illi ne privati quidem
immunes fuere à variij generis calamitatibus! Sci-
mus enim, Senecam ex Aulico privatum factum,
fatum, si quod est extra divinam providentiam,
effugere non potuisse; Volgò ita judicamus, & ita
se res habet, tam expectandam omnis generis ma-
lorum & convitiorum procellam, & execrationū
turbinem in vita privatâ, ac in aulicâ. Vtrobique e-
nim ijdem homines, & eadem hominum fortuna.
Vitâ itaq; aulicâ, humanarū rerum & consiliorū
multorum quasi officinâ, non tam relictâ, quàm
mutatâ, Academiam ingressus sum: & talem, in
quâ non nudæ meditationes, disceptationes, &
deambulationes locum habent: sed usus, ad o-
mnem artem utilis & necessarius, abundè in con-

742
valendo & dicendis sententijs apparet. Occur-
runt in Collegio Iuriscons. & Curiali iudicio ea,
mandetibi & Reipub. quod imitère, capere possis.
Ex aulâ quoque Ictis committuntur variæ con-
troversia: Bis aula in anno adeunda in causis
provocationum, quibus & ipse octo annos Dres-
dæ interfui. Fateor tamen, ea quæ in vitâ hu-
manâ præcipua meritò ducuntur, præsentia in
Repub. ordinare, futura avertere, præterita præ-
sentibus, in pace & bello accommodare, ad homi-
nes de Scholâ rarò pervenire, in nonnullis aulis &
Repub. rarò etiam ad ipsos politicos: rarissimè
quoq; in libris Iurisconsultorum nostrorū doceri.
Extra illa, quæ jam dicta sunt, Academici men-
tis secessu fruuntur, in quo dum soli esse putan-
tur, soli tamen nunquam sunt, sed domesticos
mutos magistros secum optimos habent, eos in-
primis, qui Historiam, verissimam ad res Civi-
les disciplinam, tradunt & inculcant: Quam ex-
ercitationem illi, qui remedio sagaci, consilio pru-
denti Reipub. laboranti succurrunt, plerunque
præ alijs necessarijs negotijs relinquere coguntur
inviti. Illi igitur, quibus humana negotia, suo
quæque ordine, immutabili lege percurrere per-
suasum est: illi, quorum pectus sinistro iudicio oc-
cupatum non est, non temerè hoc meum curricu-
lum volvi agique credent, sed mecum DEO as-
scri-

545

scribent, qui viget, qui sentit, qui regit & moderatur etiam minutissima: qui ijdem quoq; sciunt, me quâ par est, assiduitate & fide provinciam susceptam per quadriennium administrasse, non majora appetivisse vel ambivisse, & aureâ contentum mediocritate fuisse. Verùm, ut nostra omnia vicissitudini & mutationi perpetuæ, vel in primis mea, qui ad peregrinandû natus videor, sunt obnoxia: ita rursus hæc mea provincia non fuit diuturna. Quippe jussu & voluntate Sereniss. ac potētiss. Principis ac Domini, Dn. CHRISTIANI, Ducis Saxonix, sacri Rom. Imperij Elect. &c. Excellentis memor. Principis nunquâ satis laudati, constantis, veracis (Magnifico Andrea Paul, viro opt. & politico excellentiss. in quo omnia bona abundè concurrebant, beatè mortuo) ut aulæ operâ darem, legitimè sum vocatus, amplissimo stipendio dato, & professione publicâ cum ijs, quæ ipsi defungendæ sunt adjuncta, reservatâ. Et quamvis neque leues, neque alienas Principi sanctissimo proposuerim excusationes: tamen ijs locum dare Cels. ips. noluit. Itaque menstrui temporis spatium ad deliberandum concessio, & conditionibus adjectis approbatis: divinæ providentiæ & magistratus voluntati amplius refragari non debui, factis cessis: Ea enim quò inclinant, & tu ad illa, si salvâ conscientiam fieri potest, inclines suadeo. In eo

munere aulico, illa quæ mihi fuere injuncta, ego
homo umbraticus sincerâ & bonâ conscientia ex-
pedivi, & ita quidem (absit jaſtantia verbo) ut &
Principi satisfecerim, & in negotijs commissis de-
bitam fidem & diligentiam præstiterim, legatio-
nes in rebus gravissimis aliquot obeundo. O mi-
serissimam verò mortalium conditionem, quâ o-
ptimus & laudatissimus Princeps in ipso ætatis
flore terris ereptus est; O fluxam & lubricam re-
rum humanarum spem, & momentaneam posses-
sionem; Bona divinitus data, manibusq; appre-
hensa unicâ horâ amittimus: fulcrum concidit Ro-
mani Imperij, quod jamdudum spectat casum, &
propter furorem multitudinis, concertationes va-
nas & inanes, stare diutiùs nequit: sive considera-
veris exempla historiarum, sive divini judicij signi-
ficationem; Mutatis enim moribus, studijs, sen-
tentijs hominum, totiusq; penè vitæ rationibus,
imperium consistere non posse prudentes tradide-
runt. Ecce igitur tertiam mutationem (κύκλιθ' γὰρ
τῶν ἀνθρώπων πραγμάτων περιφερόμενός ἐστι) quâ rursus

Profuit ad modicæ sortis cecidisse quietem.

Quanquam enim Illustrissimus Princeps ac Do-
minus, Dominus Fridericus V Vilhelmus Dux Sa-
xoniæ &c. Administrator Elect. Saxon. &c. Do-
minus meus clementiss: voluerit, ut in officio per-
manerem meo; tamen meis consideratis excusa-
tionum

597
tionum causis, me clementissimè & bonâ gratiâ
dimisit & officium rursus demandavit reservatum.

Ne igitur officio desim meo, & pluribus vos
morer, en quasi postliminio reversus, vobis signi-
fico, me ordine continuo servato, propositurum
explicationem Tit. Decr. De libelli oblat. & ve-
ram & utilem; eâ formâ & methodo, quâ antè u-
sus sum: tùm ad patrocinandum usum, tùm ad judi-
candi majorem facilitatem, accommodatam!
Nec exigua profectò hæc ratio videri debet discen-
tibus, licet Asiatica non accesserit verboritas, tem-
poris parsimoniâ prohibente: Animus enim non
est, insanos Commentarios conscribere! Necessa-
ria tamen non omitam: In eâ enim sum sectâ, in-
ceptis multa adjici posse! Nihil quippè est, auctore
M. Tullio, inventum & perfectum, in rebus inpri-
mis humanis: in quibus multa majores, vel igno-
rantiâ vel negligentia, intacta reliquerunt. Divi-
nis si volueris addere, crimen falsi ne incurras,
cave. Omnia, à Dd. nostris tradita, neq; enarra-
re neq; attingere poterò. Id enim non minùs fie-
ri potest, quàm totius maris flumina & aquas pu-
gno concludere vel ebibere. Politica, oblatâ occa-
sione, Iuridicis, quantum fieri potest, jungam.
Hæc enim distincta esse, probè norunt, qui ea te-
nent. Non tamen illi ea norunt, qui suaviter
de his philosophari sciunt; sed qui actione probant.

Vt c

Z/4030 OK
Vt enim non sunt milites, qui in convivij exerci-
tum ducunt, ubi castra locanda sint, disputant,
quæ loca præsidij occupanda, quando cum hoste
manus conferendæ: Sic neque illi Politici, qui
Politicam, artem dicendi & scribendi, non facien-
di existimant; Sapere rectè, dicere verè, & facere
probè, Politicum decet. Sed hæc ut minùs grata
prætermittam, nec veritati pompam addam. DE-
VM, ut nobis adesse, & favere dignetur nostris la-
böribus, precor. Valetè & benè vivite; Quo die
initium prælectionū facere possim, finito Curiali
judicio & nundinis Lipsens. significabo.


Dat. V Viteb. 2. Ianuar. Anno
clo. lo. XCII.

ULB Halle

004 216 539

3






Farbkarte #13


B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

ARTV
 HEIC. ET
 ETALIVM
 SOR &c. IN
 nia VViteberg.



prudentiæ
 didatis S.



TEBERGAE
 M. Simonis Gronenbergij.
 D. XCII.

